



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiaë, 1635

Cap. VIII. Maiórne Crvci & paßionibus, quàm actionibus corona
respo[n]deat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT VIII.

*Maiórne CRVCI & passionibus, quàm
actionibus corona respondeat.*



IS dictis, ad alia properabat Saluator, nisi Staurophila retinuisset; Superest, ô Domine, inquires, nodus quidam, quem sciendi curiositas, an coronæ cupido nexuerit, haud ipsa scio. Tu, ô æterna sapientia, iudicabis, & si mereatur, etiam dissolues. Propone, inquebat Christus, vt audiam. In hoc enim patientiæ stadio etiam ad diuerticula quædam deflectere, minimè mihi molestum, dummodò in Viam redeamus. Ab eâ, inquebat Staurophila, quæstiuncula mea non abibit: quin potius, vt credo, eam promouebit. Sed quid moras necto? quod me remoratur hoc est: Anne amplior & pretiosior corona reposita sit CRUCEM ferentibus, quàm ijs, qui absque eâ multis bonis incumbunt operibus? Nolo te lateat, Staurophila (inquebat Christus) bona agere, & mala pati, Christianum, hoc est, tuum esse; vtrùm autem præstet, maiorive dignum præmio, tum dicam, cum ipsa, vnde hoc tibi inciderit, aperueris. Legebam,
inque-

inquebat illa, nuper sanctæ Lydvvinæ virginis Vitam, & in eâ, vt generosissima illa Dei Sponsa vigesimum octauum in suâ infirmitate agens annum, cùm incredibili Martyrij arderet desiderio, in mentis excessu viderit *coronam pretiosissimam, gemmis diuersorum colorum variegatam, necdum tamen in orbem penitus absolutam. Ad se autem vt redijt, cogitabat quenam illa esset corona, petijtq; à Domino varijs afflictionibus exerceri, vt orbem hunc absolueret. Exaudiuit eam Deus; & ecce quidam milites cubiculum eius ingressi indignis modis corpusculum eius variè afflictum, & hydropisi tumidum, absque vilo pudore contrectant. Addunt turpissima conuitia, vocant bestiam, prostibulum, voracem, & multa alia, nec paucis eius vulnera cumulant vulneribus, ita vt sanguis in paleas vicinosque pannos deflueret. Post illorum discessum, Angelus ad eam venit instar Solis splendidus, aitque: *Salue charissima soror; ecce nunc absoluta est CORONA, quam nuper imperfectam vidisti; ludibria & vulnera corpori tuo imposita fuere gemma, quas in illâ CORONA & adesse vidisti, & deesse.* His lectis, ita mecum ratiocinabar: Quid est quod illuminatissima hæc virgò, non vnâ CRUCE tot annis excruciatâ, nouas flagitarit tribulationes, vt CORONAM suam*

Ioannes
Brugman-
nus in Vitâ
P. tit. 3. c. 6.
apud Sur.
tom. 2.

suam exornaret atque perficeret? Cur, quaeso, bonis operibus id potius conata non fuit, nisi quod tribulationis malleo eam citius

Ambr. l. 1.
Offic. c. 15
Greg. Nyss.
sen. apud
Damasc.
lib. 3. P.
rall. c. 49.
Infinuat.
diuin. pic-
tatis lib. 3.
cap. 70. &
Blos. in
Monili c. 9

sciret absolui? *Nam quos manet CORONA, expectat iniuria. & per dolores quibus hinc afficimur, vel peccata expiamus, vel, si non tot peccata habemus, splendidiore CORONAS accipimus.* Confirmabat me quoque in hac opinione & illud quod de sanctâ Gertrude legeram, quæ cum noctem duxisset insomnem, atque inde plurimum debilitata, viribusque esset destituta, obtulit huiusmodi defectum Domino, in laudem eternam, ad salutem omnium. Cui dixit Dominus: *In infinitum acceptius mihi est, dum quis in infirmitate sua post consumptas per vigiliam vires, defectum illum virium humiliter sustinendo, mihi offert, quam dum aliquis corpore sanus, qui bene vigilare potest, totâ nocte in oratione pervigilat.* en causas dubitationis nostræ.

Blos. in In-
stit. spiri-
tual. c. 8.

Idem in
Speculo
Spir. c. 8.

Vt video, aiebat Christus, non extra semitam ambulas, neque improbare velim probabilem hanc tuam collectionem. *Etenim exigua molestia propter Deum equanimiter tolerata, incomparabiliter prestantior est, quam sint multa & grandia bonorum operum exercitia. Atque homini utilius est, etiam modicum gravamen patienter pro Dei honore vel amore sustinere, quam grandia opera patrare.*

Et

Et quid dicam? *Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo tuo, & si quidem aliquid melius & utilius saluti hominum, quam pati, fuisset, id utique verbo & exemplo ostendissem.* Quantum consolationis, inquiebat Staurophila, est in verbis istis! quantum lætitiæ calamitosæ & afflictis hæc adferre debent! cùm vident, maiorem se fabricare CORONAM, quò plures & grauiores pertulerunt CRUCES. Sed absconditum est hoc verbum à cordibus multorum, & fortè fidem vix inuenit.

Cur autem, inquiebat Christus, non credant? an non Sancti quique in eâ se fuisse mente testati sunt, cùm CRUCIBVS & morbis ab aliis functionibus, multisque actionibus bonis præpediti, neutiquam questi sunt, meritorum quæstum hoc pacto sibi immi-
nui? Quid? quòd & in beneficijs CRUCES numerarint, atque hoc nomine vel maximè sibi fuerint gratulati. *Magna enim hæc dignitas, & Regno quouis ac Consulatu maior.* Neque pro Deo pati cuius passim conceditur, estque id magnarum virtutum, præstantissimarumque actionum, pro Dei gloriâ proximique salute obitarum, merces amplissima. Vnde meritò, Philippensibus gratulatur Apostolus, quòd ijs *donatum esset non solum*

Thomas à Kemp.
lib. 2. de Imitat. Christi,
cap. 12.

Chrysoft.
Hom. 8. in Epist. ad Ephes.

Phil. 1, 29.

Z

ut

ut in Christum crederent, sed etiam ut pro illo paterentur.

Ruff. in
Vitis Pa-
trum lib. 3.
num. 158.

Pelagius
l. 5. in Vitis
Patrum
num. 65.

Subit animum, inquit Staurophila, quemdam huius animi fuisse, qui frequenter ægrotaret. *Contigit autem ut vno anno nullam aduersa contingerent: hinc bonus ille cepit affligi, flere, & grauiter etiam queri, ac dicere: Reliquisti me, Domine, & noluisti me presenti hoc anno visitare.* Et alius parisiensis patientiæ, in morbo cibum recusabat à Fratris oblatum, dicens optare se in eâ infirmitate ad alios triginta annos à Deo relinqui. Abstinuissent, ni fallor, his votis, si tantumdem bonis exercitijs, quantum malorum perpeffione, sperassent consequi.

Missale
Roman.

Sed reduc me etiam in memoriam, subiciebat Christus, qui mundi Redemptor & Seruator sum. Vide autem cuiam operi humani generis redemptio potissimum adscribatur. Erat vnaquæque actionum mearum meriti prorsus infiniti, & tamen mundi salus passioni, morti, & effuso maxime tribuitur Sanguini. Quam crebro cantari audiuisti: *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per CRUCEM tuam redemisti mundum.* Altius, inquit Staurophila, extolli CRUX non poterat, Domine, quam ut instrumentum fieret redemptionis nostræ. Nihil ad tribulationes seu mitigandas, siue commendandas

das meliùs excogitari, quàm quòd per illas
saluus fieret mundus. *Quàm magnificata sunt* Psal. 103,
operatua, Domine! omnia in sapientia fecisti. 24.

Quis igitur, inquiebat Christus, dubitet,
num plus actionibus an perpeffionibus tri-
buendum? cum his peculiariter reconcilia-
tio humani generis, peccati expiatio, rese-
ratio cæli, diuino decreto fuerit reseruata? Et
discite hinc, filij Adæ, populus acquisitionis
meæ, quanta peccati grauitas, quæ tali tam-
que operoso egebat remedio: discite quan-
ti mihi steterit vestra salus, quamque exi-
mius meus erga vos fuerit amor: discite tri-
bulationum & CRUCIUM dignitatem; & vt
mei gratiâ dura quæque toleranda sint, qui
tam atrocita, tamque immania pro vobis,
cum adhuc inimici essetis, pertulerim.

Vnicum hoc tuum, mi Redemptor, exem-
plum, aiebat Staurophila, assensum non tam
petit, quàm extorquet. Nec video quî relu-
ctari vltra quis posset. Quid si & alterum,
aiebat Christus, puri hominis adiecero, con-
fectumne videbitur negotium? Confectum,
aiebat Staurophila. Tum Christus: Specta
mihi igitur *maximum illum patientie certato-*
rem, & immobilem petram, Iob, & bonos eius
actus cum passionibus compone, & iudica
unde amplius illuxerit. Quandonam erat Iob
illustrior, quando domum suam omnibus ad-

Chrysoft.
Epist. 7. ad
Olympia.
paucis hinc
& ibi præ-
termissis.

uenientibus aperuit, an cū ea ruente, verba amara non protulit, sed potius Domino benedixit? Cū hoc quidem virtus esset, istud ærūna? Quando splendidior erat, dic mi, cū sacrificabat pro filijs suis, & eos ad concordiam congregabat: an cū defossi, & amarissimo genere fuissent mortis extincti, cū magnā Philosophiā pertulit quod euenit? Quando potius ille radiavit, quando de tonsurā ouium suarum calefacti sunt humeri nudorum: an cū audiens ignem descendisse de celo, & exedisse cum Pastoribus greges, non est commotus, neque turbatus, sed amantissimè pertulit casum? Quando maior illuxit, cū sanitate corporis ad oppressorum patrociniū utebatur, conterens molas iniquorum, & ex medio dentium rapiens rapinam, miseris portus existens; an cū hoc idem corpus eius, hoc est indigentium scutum, vermibus videbatur absumi, sedens in stercore, & testā illud radens. Impleo, inquit, tabo glebas terre? Atqui illa quidem omnia præclara facinora erant; ista verò omnia passionēs: sed tamen ista illum clariorem, quàm illa fecere. Hæc enim maximè amarissima certaminum portio, & maiorem virtutem requirens, & animam fortiorem, & mentem Philosophiæ appositiorem, quæ maiorem circa Deum habebat charitatem: & prætereà, cū illa quidem fierent, etsi impudenter & valdè crudeliter, attamen

Iob 2.

attamen contradicit diabolus; dicens; Num- Iob 1, 9.
 quid gratis colit Iob Deum? hæc verò cum con-
 tigissent, confusus abscessit, terga dans, quòd
 neque vel impudentem contradictionem, um-
 bram saltem habentem aliquam, posset oppo-
 nere. Hæc enim CORONÆ perfectio, hoc vir-
 tutis cacumen, ista fortitudinis aperta proba-
 tio, hoc verissimum Philosophiæ incremen-
 tum. Hæc itaque cogitans, ac retractans quan-
 tum sit lucri, acta cum molestijs ac doloribus
 vita, gaude & delectare questuosam, & mille
 plenam CORONIS VIAM CRVCIS per fre-
 quentissimas passiones deambulans.

Ib. d. non-
 null. inter-
 iectis.



Cum ipso sum in tribulatione. *Psal. 90, 15.*



*Quam leue, sponsa, iugū CRVCIS efficit vna volūtas!
Te mihi CRVX sociat, me care sumpta tibi.*